Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3117
Quelle:
Copyright:

fti. Collectae de variis Sanctis. Pſalmi Poenitentiales cum Litaniis, in quibus variorum peculiarium Sanctorum occurrunt nomina. Officium Defunctorum. Hymnus: *Stabat Mater*, quem pro Femina ſcriptum liquet e Verſiculo:

Inflammata et accenſa *Per te, Virgo, ſim defenſa* &c.

Officium de Trinitate. Complures demum Rhythmi et Orationes de variis Sanctis, titulis plerumque *gallicis*, ubi noto, pro *Antiphona* poni *Anteyne*, *Anthaine*, ad quae majori jure referri poterit anglicum *Anthem*, quam ad graecum Ἀνθυμνος, quo retulit *Sam. Johnſonus* in *Dict.* Antiquitatis eccleſiaſticae minus gnarus.

DCCCLXXX.

956 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 186. 4. probe, et quidem usque ad *fol.* 35. in paginis atratis auro, argentoque perſcriptus, literis initiorum, marginibusque omnibus cum auri, tum picturarum omnis generis ſacrarum, profanarum, ſeriarum, ridicularum, hinc inde tamen calamo duntaxat deſignatarum feraciſſimis, Iconibus inſuper XX. grandibus piis perquam ſplendidus *Horarium* eſt, uſibus Principis cujusdam Feminae, ut videtur, paratum. Initium ducit a *Calendario*, cui nec Zodiaci Signa, nec Georgica a perito penicillo deſunt. Aurei in eo 22. Jan. *Vincentius mart.* 9. Oct. *Dionyſius ep.* 13. Nov. *Livinus Archiep.* 14. Dec. *Nicbaſius Archiep.* unde in *Belgio*, Artis hujusmodi pictoriae olim ſede, adornatum ſcias, quod e *gallicis* quibusdam Rubricis itidem confirmatur. Sequuntur VII. Gaudia Deiparae, quibus praefixa Icon ejusdem in Templi cujusdam medio confidentis adgeniculante ejus ſiniſtrae Viro quodam juvene, dextrae vero Matrona puellis ſtipata. At vero infra Iconem majori forma haec ipſa Matrona ſedens, librumque adtente legens, catello in gremium recepto viſitur, pileo illo turrito conico, a cujus apice velum defluit. Nihil auſim pronuntiare, cum nota heraldica nulla compareat. Succedunt IV. Evangelia totidem Scriptorum, Miſſa de Beata, Horae de Paſſione, de S. Spiritu, de V. *Maria*, Preces ad Coelites diverſos, Pſalmi *de Poenitentia* cum Litaniis, demum Vigiliae Mortuorum. Ut ſemel dicam, quod ſaepe mirari ſubit, Majores noſtros Libris, e quibus orationem faciebant, tot *Aegri ſomnia*, tot *Hircocervos*, *Vulpanſeres*, et quae *Flaccus* Artis poeticae ſuae initio commemorat, adpingi paſſos fuiſſe, quibus ad animum, quem precatio collectum poſtulat, diſſipandum vix quidquam efficacius.

Ad calcem Codicis inſerta eſt Membrana coaeva 2. *foll.* cujus *pagina* 1. interior depictam exhibet Ἱεροθηκην, et in ea Hoſtiam